









70

SPICILEGIA  
AD  
TVSSIS CONVVLSTVÆ  
HISTORIAM ET MEDENDI  
METHODVM PERTINENTIA

\*\*\*\*\*

PRAESIDE

MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER.

FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVRE

SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,

ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. I. DECEMBRIS C1D1DCCXG.

DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

LVDOVICVS FRIDERICVS IÜTERBOCKI

POMERANVS.

---

TRAIECTI AD VIADRVN,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO





EPICLETIA  
AD  
TVSSIS CONVULSIVAE  
HISTORIAM ET MEDICAM  
METHODVM PARMENIA

\*\*\*\*\*

PRÆSIDE

MAGNifico ACADEMIÆ RECTORI  
PETRO IMMANUEL E. LEASTYANNO

PHIL. MED. DOCT. P. A. DOCT. H. M. C. M. D. C. LXXV. M. D. LXXV.  
P. A. DOCT. H. M. C. M. D. C. LXXV. M. D. LXXV.  
P. A. DOCT. H. M. C. M. D. C. LXXV. M. D. LXXV.  
P. A. DOCT. H. M. C. M. D. C. LXXV. M. D. LXXV.  
P. A. DOCT. H. M. C. M. D. C. LXXV. M. D. LXXV.

D. H. DECEMBRIS CIGIDGCG  
DOCTORIS MEDICI HONORIS

LECTURÆ CATHEDRÆ

PUBLICÆ DISECTÆ

AVCTOR

LEONARDVS J. LEBRIVS INTERDOCTVS  
TOMEANVS

---

FRANCKT AD MAINVM  
E. TYPOGRAPHICO ARTHURING







## PRAEFATIO.

**P**rimicias has academicas edituro mihi, veniam dabit, lectores beneuoli, si non omnia, quae hic sunt proposita, absolute satis pertractauerim, partim virium mearum, quippe tironis, imbecillitate, partim temporis, huic opusculo impensi, angustia impeditus. Ignoscatis porro mihi benigniter, quod in grauisissimi huius, quem exposui, morbi historia duas tantum periodos; tres vero in eadem  
me-



---

médendi methodo constitui. In ista enim ex  
symptomatibus non plures distincte appa-  
rent, nec, quae transitum ex prima in alte-  
ram periodum declarent, propria et lucu-  
lenta habentur signa: in hac vero medendi  
ratione distinctio periodorum summe est ne-  
cessaria; siquidem, vt hic exposituri sumus,  
diuersae periodi diuersam quoque et fere  
contrariam medicationis methodum requi-  
runt. Si ad eos, qui de contagiis scripserunt,  
auctores respiciamus, Anglos imprimis de-  
prehendimus contagiorum, tamquam pluri-  
morum morborum fontium, praecipuos pa-  
tronos. Sed, nisi nos omnia fallunt, forte  
familiaris Angliae atmosphaera humida at-  
que nebulosa, foecunda plurium morborum  
epidemicorum mater, Anglos medicos facile  
in errorem induxit, vt, quae patrio climati  
debebantur, contagio ipsi adscriberent. Sed  
de his in ipsa dissertatione plura.



§. I.

**M**orbus, de quo disputaturi sumus, pluribus designatur nominibus. Latine dicitur: pertussis, tussis ferina, tussis stomachalis, tussis quinta siue quintana, tussis denique puerorum conuulsiva; quae vltima denominatio plerumque occurrit apud auctores et pathologos nostri temporis praecipuos. Galli *Architoux des enfans*; *Coqueluche*; atque Angli: *Kinkcough*; *Chincough* siue *Hooping-Cough* eum appellant. Nos autem Germani eundem *Keichhusten*, *Schreyhusten*, *Stickhusten*, *wilden Husten* und *Hünerweh* salutamus. Quae harum omnium denominationum optima sit, id est, quae maxime ad essentiam morbi spectet, narratis narrandis, quisque per se intelliget, perpendens SELLI, naturam morbi inquirentis, verba, qui: *Naturam siue essentiam morbi in fabricae corporis a statu naturali alienatione sitam esse dicit a)*. A praeclarissimis itaque auctoribus *b)* ducti, descriptionem tussis conuulsivae dare, animus est.

§. II.

Duabus periodis gaudet, si symptomata spectes. Non subito, sed paulatim se ostendit. Inter  
initia

a) *Pyretol.* edit. alt. p. 32.

b) V. C. STOLL, ROSENSTEIN, DANIEL, NICOLAI, CVLLEN, SELLE, STORCH, VNZER, etc.



initia fere sicca est, tussimque catarrhalem simulat. Deinde die octavo ad decimum quintum humida apparet; sputa sunt cocta. Interim statim ab initio febricula exigua, plerumque errabunda, aegros magna ex parte tenet, quosdam nulla. A febre catarrhali quam proxime abest; saepius enim ac subito horripilationes aegrotum per diem corripiunt, insequente mox calore ac siti, mox omnino deficiente; lingua quandoque et interna oris superficies alba, mucilagine tecta; alvus mox obstructa, mox laxa; raro anorexia; somnia viuidissima, ad somnambulismum fere pertinentia; facies mox pallida, mox naturali rubore colorata; nulla animalium functionum laesio. Sub hisce signis tussis ipsa magis magisque crescit, aegrotique incertis vicibus, praegressa titillatione vel in trachea, vel in scrobiculo cordis, vehementer tussitare incipiunt; praecipue autem iracundia flagrant, aut cachinnantes, aut aëri frigido expositi, aut noctu in lecto dormientes, aut post assumptionem ciborum et potus frigidi. Tunc, facta alta inspiratione, tussitant cum repetitis diuque protractis expirationibus, insequente iterum difficili, tarda, sonora, gallicinii instar, clamosa inspiratione; tumet inde facies, turgent a sanguine venae, arteriae fortius pulsant, caput dolet, oculi prominent, lacrymae fluunt, apoplexia velut imminet, ac paroxysmus talis expectoratione magna, mucoso-viscida, et raro sine vomitu pituitoso terminatur; si autem tussis cum vomitu non desineret, mox recurrit validior, et ad vomitum vsque nunc certe aegrotum torquet.

§. III.



## §. III.

Symptomata omnia hucusque relata, praesentiam pituitae viscidae, deinde congestionem sanguinis ad caput, semper cum respiratione laesa coniunctam, et denique affectus convulsivos indicant; unde magnus morborum secundariorum numerus, nisi mox pituita euacuetur atque paroxysmi repetitio et vehementia prohibeatur mitiorque reddatur, oriri debet. Neque haec raro fiunt: saepissime enim haemorrhagias narium, oculorum, aurium, coecitatem, surditatem, inflammationem oculi, vasorum tunicae coniunctivae maximam a sanguine turgescentiam, apoplexiam, et suffocationem sequi observamus; non raro singultus, convulsiones omnium artuum ex epilepsia, hernia, struma, gibbositas ac disruptio vertebrarum nascitur. Involuntaria alui et vesicae excretio sub paroxysmo saepissime contingit. Morbus denique protractus in tabem aut hydropem anasarca transit, vel cum febre acuta coniungitur; quo cum transitu in anasarca tabemque, et coniunctione cum febre acuta, fines ruffis convulsivae malignae, simulque initium *periodi* nostri morbi *secundae* adest; cuius signa hic breviter exponemus.

## §. IV.

Sensim morbo sic crescente, vti §. II. descriptum est, paroxysmorum frequentia, vehementiaque simul ac expectoratio paulatim vel remittit, vires augentur, febris evanescit, omniaque symptomata bonum



num exitum haud procul abesse designant; vel perfi-  
 stit et febris praesens aucta in acutam aut mutatur,  
 aut vires paulatim ac totius corporis volumen a ma-  
 gna mucii excretionem consumuntur tabesque aperta  
 sequitur. Symptomata autem huius febris variam  
 indolem indicant. Narramus ea, priusquam indo-  
 lem ipsam determinamus, ut quisque legens ipse in-  
 telligat, cuius sit indolis. Augetur ardor, anxietas,  
 pulsus frequentia ac fitis; facies valde livida; solida  
 vere laxa; cutis plerumque arida vel totius corporis,  
 vel sudores adsunt partiales, praecipue capitis; ma-  
 dent capilli saepe, dum frigit corpus caeterum; adest  
 vel summa prostratio virium, vel erethismus; ad-  
 sunt vel affectus animi soporosi, vel viuidi et somno  
 carent aegri; cibum ac potum vel ardentem assumunt,  
 oculi fulgent, lacrymae profluunt; vel omnem solidi  
 cuiusdam assumptionem denegant, solummodo bi-  
 bunt, oculi sunt pallidi, lutei, fusci, ardor cutis  
 siccus; sudores per totum corpus; pulsus maxime  
 celer, frequens, parvus, mollis, durus; anxietas  
 circa praecordia; dolores acuti in pectore, incon-  
 stantes, peripneumoniam simulantes; peripneumo-  
 nia notha; orthopnoea; bullitus in respiratione,  
 praecipue ante tussim, paroxysmi irregulares, subito  
 erumpentes, viuidi, vel languidi; respiratio frequen-  
 tissima, in magna celeritate expirationis fundata;  
 ardoris nulla vel post meridiem remissio; praesentia  
 animi vel nulla, vel integra; sicque tempore semper  
 fere matutino mors sequitur, aut calore continuo,  
 aut frigore totius corporis capitisque sudore frigido  
 ante-



5

antecedente; qui frigor suffocationem ac mortem apoplecticam praeparat, et abinde multi paululum antea de dolore capitis queruntur, quam e vita discedunt. Lingua semper alba mucilagine tecta est, mox sicca, plerumque autem glabra; oris interna superficies saepe etiam sic obducitur; aluus in aliis laxa, in aliis, scilicet plerisque, obstructa, siue naturalis; excrementa ex albo flaua apparent. Septimo, ad vltimum die vndecimo, ab initio huius periodi moriuntur.

§. V.

Quamuis in genere tussis conuulsiva morbus infantilis est, atque infantes imbecillos et cachecticos praecipue corripit, febris tamen primae periodi, uti symptomata indicant, phlogosi gaudet et ad inflammatorios pertinet; neque illos constitutione robusta plethorae gaudentes, intactos relinquit, simul ac epidemice grassatur. Inde haec febris vel magis inflammatoria, vel magis spasmodica siue nervosa, vel denique magis pituitosa siue catarrhalis obseruatur, prout aut plethora, aut debilitas, aut cachexia praedominat. Exiis autem periodi alterius symptomatibus apparet, febrem istam mox esse pituitoso putridam, mox pituitoso nervosam, et denique exvtraque compositam. Inde rarissima nobis exempla erunt, vbi ars nostra auxilio fuit; multi iam die quinto vita priuantur. Tussis enim antecedens omnes iam vires consumsit, corpusque infantile, quod per se imbecille est, tantopere corrumpit, vt harum febrium grauitati resistere



nequeat. In epidemiis autumnalibus magis pituitoso putridam, in iis autem, quae vere occurrunt, magis pituitoso neruofam esse obseruamus. Eandem tussim exanthemata varia ac metastases c) malignae, alique morbi aut comitantur, aut excipiunt, qui neque a congestione sanguinis, nec a conuulsionibus nascuntur, ut aphthae, colluies verminosa, dentitio, vrticata, scarlatina, morbilli, purpura, scabies aliique.

§. VI.

Omnium symptomatum, exceptis spasmodicis, quae supra memorauimus, nec vnicum est pathognomicum. ROSENSTEIN d) tale quidem inuenisse opinatur, scilicet typum febris tertianae, quem, uti ille illustrissimus vir contendit, haec tussis nunquam relinquit, nisi per medicamenta sine indicatione data, et per accessionem aliarum causarum accidentalium turbata irregularisque facta sit: *verum quidem, inquit, est, tussi ferina ante eruptionem morbillorum, infantem laborare vidi, cuius paroxysmi cum vomitu finiebantur, et inspiratio sonora, gallinaecea, aderat; attamen non omni alterno die exacerbationem fecit, quae signum tussis conuulsivae pathognomicum est. Eruptis morbillis, statim desinit.* Alii quoque eundem typum obseruauerunt. SELLIVS e) dicit: *morbis interdum sine febre est, sed non raro haec accedens, typum febris tert. plerumque ostendit.* Alii

c) ROSENSTEIN *Morb. inf.* ed. nouif. p. 392.

d) *l. c.* p. 393.

e) *Med. clin.* ed. nouif. p. 455.



Alii denique eum adesse plane negant, e. g. KEK f). Qui omnes morbos profunde inquisiuit, optimeque descripsit, celeberr. STOLL et de hoc sagacissime sic loquitur g): *Nulla certa redeuntis tussis periodus obseruabatur. Nec in paucis aliis, quos extra nosocomium vidi, aut quos aliis annis curavi, definitum quendam accessionis circuitum experiebar. Hinc non omnis tussis conuulsiva, omni alterno die validius vrget. Ex quibus itaque apparet, ad essentiam tussis typum febris tert. nequaquam pertinere: quamquam, vti nosmet ipsi vidimus, saepe adest, neque interdum plane euanescit, etiamsi morbus iam secundae periodi gradum tetigit. Plura insuper signa extant, affinitatem huius morbi et febrium intermittentium indicantia, quae, exceptis quibusdam ac curandi methodo, de qua infra sermo erit, omnia omittere licet; morbos enim affines esse, ex similitudine methodi curandi iam satis superque constare opinamur.*

§. VII.

Tussim conuulsiuam deinde contagiosam esse, nullumque subiectum saepius, quam semel, per vitam totam turbare, plurimi auctores h), quorum multi sunt celeberrimi, contendunt. ROSENSTEIN l. c. p. 390.

In

- f) KEK *Dissert. contin. super perussi quasdam animaduersiones*, p. II, IACO SYDENHAM.
- g) *Rat. medendi*, T. II. p. 177.
- b) CVLLEN *Anfangsgründe der pract. Arzneikunst*, 3ter Band, p. 454. HILLARY *on the Air and Diseases of Barbados* p. 45. BISSET *in den Med. Essays and Observat.*, p. 174. BVTTER *Abhandlung vom Keichhusten*, p. 151. aliique.



*In tussi, inquit, conuulsua hoc singulare est, quod semper sit epidemica; mihi hoc minime miraculosum esse videtur, cum contagiosam saepius vidi, nunquam autem alios ingredi, quam qui ab illa nondum torti sunt. Inde simili modo, ac in eodem gradu contagiosa est, quam variolae et morbilli. Quin imo mihi constat exemplum, vbi huius tussis contagium per missum quendam a tali, qui ea laborabat, inde translatum est, quo vehebatur, duosque infantes affecit. Memetipsum hoc contagium inutum ac inscium, ab vna ad alteram domum transtulisse recordor. Vsque ad seculum XV. ignotum ac morbum nouum esse, multi etiam opinantur; SELLE *i*) de hac re sic dicit: *Ista tussis, quae epidemica est, magis infantes quam adultos corripit, et cuius contagium nunquam in illos, iam antea hac tussi laborantes, efficax est, proprie tussis conuulsua appellari meretur; morbus ipse est nouus et in Gallia anno 1414. primum apparuit. Interim multi sunt viri et quidem non minori auctoritate praediti, haec negantes, quibus fides omnino est habenda, quum illustr. STOLL iis se associat, eorumque numerum venerationum reddit. Audiamus huius viri verba, et reliquorum silentio praetereamus, ne lectorum beneuolissimorum patientia multis extensisque citatis abutamur. Tussim, inquit, *k*) conuulsuam, quae sui generis et morbus specificus esset, nunquam vidi semper enim epidemicae febris characteres exhibuit. Deinde, dicit *l*), contagio eandem propagari, hominemque eo morbo**

*i*) *Med. clin.* vlt. edit. p. 454.

*k*) *Rat. med.* T. II. p. 179.

*l*) *l. c.* p. 184.



morbo semel defunctum perstare posthac ab eodem immunem, observationibus repugnat. En magnam iudicii difficultatem, quae sint aegritudines contagiosae, quaeque contagio non propagentur; idem enim vir eruditissimus, praeter contagium variolosum, morbillosum, scabiosum, ac venereum, nihil aliud facile admittit, quin immo ipsius pestis negat. Illi quidem obiectum esse legimus *m*), alias tussis species non satis ab hac ipsum distinxisse; et observationes docent, omnes plerumque infantes cuiusdam domus tussis conuulsivae mox laborare, simul ac vnus ab illa correptus sit; praeterea semper epidemica est, ac per vastissimas regiones, vel vicinas, vel remotas, vno eodemque tempore, haud secus ac variolae saevit. Interim iam antea ostendimus, tussis conuulsivae signum pathognomicum non adesse, nisi affectus nervosus tale esse velimus. Deinde et alia ratione, quam per contagium morbi, sic homines infici possunt: scilicet sequentibus modis.

#### §. VIII.

In aëre ipso, quem omnes inspiramus, miasma quoddam fluctuare potest, ad producendam tussim istam aptum; neque, omnia animalia tale inhalantia, a tussis corripiantur, necesse est, cum semper dispositio, ad ipsas quoque variolas, adesse debet, priusquam miasma vnumquodque morbum suum in corpore quodam producere possit. Omnes itaque a morbo

*m*) vid. CYLLEN *l. c.* p. 477.



morbo ex hac ratione epidemico liberi manent, quibus ista non est dispositio. Neque deficiunt nobis huiusce propagationis morbi cuiusdam exempla; nonne enim morbus ille nouus, etiam catarrhalis, quam Influenzam salutauimus, per totam Europam tunc temporis epidemicus, per miasma adhuc incongnitum atque in aëre haerens propagatus est? quo alio modo? Praeterea etiam ad tuendam hanc sententiam, auctoritate celeberr. STORCHII uti possumus; qui *causa*, inquit, *n) huius tussis, insalubris quidem tempestas est, nempe tempestas valde mutabilis, qua transpiratio laeditur; interim alia quaedam causa accedat, necesse est, quae tussim hanc ferinam reddit et a catarrhali distinguit. Quod ad me attinet, istam causam, singularem caeli quandam qualitatem esse credo, qua humores nostri particulis impraegnantur, quae pituitam excernendam maxime viscidam reddunt et ad cuius excretionem naturae molimina valde intensa requiruntur. Si recte autem haec adspicimus, per contagium simul etiam propagatur. Interim praesentia huius quoque miasmatis in aere haerentis nobis non opus est ad declarationem naturae tussis conuulsivae epidemicae aliorumque phaenomenorum; sola quaedam qualitas atmosphaerae nostrae, sola illius subita mutatio iam sufficit ad producendum morbum epidemicum, praecipue talem, qui pituitosae et catarrhalis indolis est, si corpora humana tali constitutione et dispositione vniuersali gaudent, qualis ad istos morbos*

*n) STORCHENS theorerische und praktische Abhandlung von den Kinderhusten, 1770. 2ter Band, p. 365.*



bos requiritur, quaeque in vno subiecto maior, in altero minor aut parum diuersa, rationes inquirenti medico indicat, cur non omnes, eodem tempore atque cum eadem grauitate et celeritate eodemque modo corripit.

§. IX.

Hanc opinionem maxime naturae rei respondere, documento experientiae, rationis atque auctoritatis clariff. viror. vtamur. Plerumque epidemica est duffis conuulsua, tempore vernali et autumnali, si et alii morbi pituitosi catarrhales homines vexant e. g. tuffis catarrhalis, coryza, graedo, morbilli, angina catarrhalis, scarlatina; colluies verminosa, febres intermittentes. Cum aphthis coniunctam vidit HOFFMANN; cum purpura BISSET; cum morbillis, febre verminosa, intermittente, dysenteria et pleuritide, BVTTER: saepius autem, quam pleuritis, peripneumonia notha occurrit, doloresque pectoris, magis congestionis humorum et affectionis spasmodicae symptomata, quam inflammationis sunt. Cum febre intermittente item et FLOYER. Sunt, qui febrem intermittentem etiam ad morbos contagiosos referunt, vt celeberr. GLEGHORN o). Nonne autem cum eodem iure clauum alius quidem ad morbos vere contagiosos referre posset, cum omnes saepe pedis digitos eo laborare videt? Hic nemo inuenitur, qui clauum morbum contagiosum diceret, quicumque magnam externarum rerum vim, partes corporis

B 2 nostri

o) GLEGHORN *observations on the epidem. diseases of Minorca 1751,*



nostri mutandi atque alienandi intelligit, omnesque callum a pressione ac frictione caligarum, quae pedi non adaequatae sunt, oriri dicunt. Neque eo secius in explicatione tussis conuulsivae, febris intermittens aliusque morbi ad contagium refugium sumunt, cum multo facilius ab influxu rerum externarum explicationem desumere possent. Primum videamus, quantum sit aeri tribuendum. Ab aere corporis nostri externae partes non solum tanguntur, sed et interna extenduntur, atque hoc vitale elementum ad sustentandam vitam animalium vel ipsius foetus necessario requiritur, quin immo prima viuentis respiratio, nisi plane effectus aeris est, quam plurimum saltem ab eius vi dependet. Vt hoc intelligamus, breuem excursionem in primam foetus respirationem facere liceat; In prima respiratione, inspiratio et exspiratio longa, tarda, protracta, ac inde spasmodica est, omnes inspirationis musculi magnopere, vti in spasmis, agunt, neque prius remittunt, quam exhaustis viribus; tunc exspiratio similis inspirationem sequitur. Breuitatis causa, reliqua phaenomena silentio praetereamus, quae satis clare etiam affectus spasmodicos sub primis respirationibus indicant. Inde respirationes primariae, inuoluntariae sunt et a stimulo quodam, voluntati non subdito, proueniunt: quis iste est stimulus? aer: neque mirandum, foetus enim liquori amnii, tepido, blando adsuetus, nunc subito in aliud elementum, stimulum sibi proprium gerentem, in aerem nempe frigidum, ponitur, ac nisi per se aeris vis irritandi maior, quam liquoris amnii esset, foetus certe



certe tamen magis ab eo irriteretur, necesse est, quam a consueto liquore amnii. Foetus itaque, qui mortuus esse videtur, est vel ita insensibilis, ut aeris stimulus non satis valide, ad contractionem usque, musculos irritando agitare possit, vel eius cutis mucilaginis liquoris amnii mucilaginoso-gelatinosi obducitur, eandem contra aerem tuente. Quapropter vitae luculenta signa mox apparent, cum vel maior adhibetur stimulus, quam ille aeris est, vel cutis abluatur. Cel. quidem HALLER omnesque celeberr. physiologi contendunt, quosdam musculos inspirationi, quosdam expirationi inseruire, quorum hi pectus ita contraherent, ut illi idem extendunt. Ad musculos expirationis praecipue musculos abdominis referunt; attamen expirationem praecipue effectum contractilitatis pulmonum esse, et a musculis non nisi mediate fulciri contendo, cum tempore inspirationis, diaphragmate contracto, viscera abdominis deprimuntur, quae abdomen eleuant; prominet ante pectus, musculique abdominales in actione sua pectoris cavitatem per se non contrahere possunt, quin imo mediate extendunt, viscera repellentes, quae ad hypochondria tunc ascendunt illaque eleuant. In grauiditate vltima, ascite, tympanite, ceterisque tumoribus abdominis hoc magis manifestum est: quomodo, quaero, hic muscoli abdominales diametrum obliquam transversam thoracis inferiorem breuiorem reddere queant? extendunt eam potius, quam diu abdominis tumor prominet. Denique etiam musculis abdominis agentibus perbene inspirare possumus, ac, quod



inde sequitur, impotentia est, non tam diu spiritum retinendi, quam si muscoli isti non intensi sunt. Haec autem impotentia maioris sanguinis congestionis sequela est, quae pulmones ad contractionem celeriorum irritat; tempore enim inspirationis sanguis a capite melius transcendit, tempore expirationis ex abdomine melius adscendit ob pressionem musculorum: inde congestio sanguinis ad pulmones augetur, si sanguinis descensus ac ascensus simul acceleratur. Sola itaque pulmonum contractilitas expirationem immediate efficit, musculique abdominales alique non nisi mediate ad eam contribuunt, viscera abdominis prementes, sursum pellentes, sanguinemque ad pulmones congerentes. Ac quia horum musculorum actio voluntaria est, eorum ope et exspiratio voluntati nostrae quodammodo subiecta est, ut mox celeriter, mox tardior, uti promiscue placet, exspirare possimus. Vti nunc inspiratio hominis adulti *functio consueta voluntaria* est, sic primam foetus inspirationem *spasmodicam voluntariam* et irritamenti externi sequelam esse vidimus. Quum itaque aeri quam maxime prima respiratio tribuenda est; quum inhalatio huius elementi ad vitae conseruationem necessario requiritur: qualitas illius alienata magnas in corpore nostro mutationes efficiat, necesse est, ac quidem eo maiores, quo teneriores et sensibiliores sumus. Inde eo tempore praecipue aegrotant homines, quo aeris qualitas maxime et saepissime mutatur, tempore nempe vernali ac autumnali; inde corpora sensibilia adulta et tenera infantum tunc omnium  
maxi-



maxime a variis morbis corripuntur. Denique exinde apparet, cur omnes fere morbi catarrhalis et pituitosae sint indolis, dum aeris qualitas saepe mutatur.

§. X.

Quisque morbus, sit vel *epidemicus*, vel *sporadicus*, vel secundum SYDENHAM *stationarius* aut *intercurrentis*, vel *acutus*, vel *chronicus* etc., *dispositionem* quandam ac *constitutionem* corporis simul et *causam occasionalem* requirit. Late grassantium morborum dispositio ac constans non minus vniuersalis, quam eorum causa occasionalis erit. Quodsi igitur dispositio non congenita sit, uti illam ad variolas etc. conspiciere possumus, et causa morbi epidemici non sit contagium, *dispositionem aduentitiam* et causam aliam vniuersalem consecrari debemus. Dispositiones autem istae corporum vniuersales ac constitutiones ab antecedente coeli qualitate, aetate, sexu ac vitae regimine proueniunt. Istum itaque effectum coeli status etc. scilicet dispositionem ac constitutionem corporum, ac eam tempestatem, qua epidemice tussis conuulsiua grassatur, nobis determinare oportet, ut eo melius opiniones istae de contagio proprio et miasmate in aere haerente refutatae sint ac vera eius causa agnosci possit. Ad ea idcirco animus intendamus nostrum, quae praecleariss. STOLL p) dixit. Februarii tempestatem anni 1777 sic descripsit. „Ab exordio Februarii ad eiusdem fere medium, magna

p) *Rar. med.* T. II. p. 3.



magna frigoris calorisque vicissitudo fuit, insignem per biduum atmosphaerae teporem frigore per alios binos dies excipiente idque alternatim; vix vna alteraue nix eaque pertenuis. A 15mo die aer quatri-duo serenus, ficcus: at reliquum mensis nebulosum maxime ex parte ac valde humidum, cum niue vna exigua; Venti aut nulli, aut tenues; Morbi huius mensis epidemici, praecipue catarrhales fuere, erantque aut inflammatorii, aut subinflammatorii: eosque pleuritides vel peripneumonias mitificatas aptius compellaffes.“ De Martii tempestate eiusdem anni sic loquitur. q) „Dies primi humidi valde et nubibus tristes, at niues pluuiacque raras. A octavo mensis die tempestat serena magis ac ficca. Ab 1mo denuo nubes confertae, madore multo graues ad 25tum vsque diem, ventis validissimis, pluuiisque niue grandineque foetis, et propemodum continuis. Ab eo die serenitas amoenissima, nebulae paucae, matutinae, sine vento.“ Vltimo nubes; flante Borea acute gelido, successere vnde p. 27. sic inquit. „Pleuritica Ianuarii labes, Februario mense in catarrhofam haecque mense Martio in pituitosam pulmonuu diathesin, cuius portio etiam ad abdomen regurgitabat, defuisse videbatur.“ Aprilis tempestatem sic narrat r). „Exordium mensis erat serenum, ficcum, ventisque asperatum peracutis; a 5to ad 11mum vsque diem niues tenues et sparfim; item nebulae, multusque et frigidus humor, intercurrente subinde superficialia congelatione, ab aspero Boreae flatu. Post mite-

q) l. c. p. 23.

r) l. c. p. 28.



scientibus paulatim ventis] serenitas rediit, calore in dies aucto, atramen haud supra modum. Circa 24mum diem aura denuo refrigescere, et humectari coepit; at multis mensis diebus resiccata iterum moderate incaluit. Tunc s) dicit; Materies pituitosa, quae mense Martio pulmones et abdomen obsederat, hoc mense sua sede dimota et mobilior effecta, diuersos homines diuersimode affecit, prout in vnoquoque, vel hanc, vel illam partem magis idoneam offenderat, cui sese affigeret peculiariter. Inde mox rheumatismus, mox angina et scarlatina, mox denique tussis, et catarrhalis, et conuulsua, oritur. Quenammodum t) autem febris catarrhalis adultos, viros praecipue et robustioris compagis feminas inuasit; sic tussis conuulsua aetatem teneram, et irritabiles multoque phlegmate redundantes femellas. Eandem, si rei caput spectes, medicinam haec tussis puerorum expetiit, quam catarrhus adultorum, eademque cum illa esse aegritudo videbatur, solaque et accidentali modificatione differre. Quoad hanc accidentalem modificationem et differentiam cum hoc viro praeclarissimo nequaquam consentire possumus. In tussi enim conuulsua, vti ex antecedentibus apparet, systema neruosum afficitur, affectusque neruosi spasmodici eam ab omni catarrhali tussi semper, ac essentialia, distinguunt; Quapropter tussim nostram morbum, quoad fluida pituitosum, quoad solida autem neruosum spasmodicum esse opinamur; dum interim

s) l. c. p. 29.

t) l. c. p. 32.



terim tussis catarrhosa non alius, quam morbus pituitosus plus minusue inflammatorius est. Eodem tempore, quo ille illustr. Auctor tussim conuulsuam obseruauit, febrem quoque neruofam grassantem vidit. Dicit p. 35. „Feminae, hasque inter imbecilliores, pauperiores, chloroticae, prae aliis hac febre aegrotarunt. Quasdam ob chirurgicum quendam morbum in nosocomium illatas eadem haec febris praeter expectationem corripuit. Ex quibus apparet, constitutionem tunc praesentem neruofam pituitosam fuisse. Illustr. HOFFMANN in sua Med. syst. de tussi agens, tussim conuulsuam obseruauit, aestate magnopere calido, insequente auctumno vere gelido, ac epidemice homines vexantem per totam vsque hiemem maxime frigidum ac vere subsequente. Celeberrimus SYDENHAM v) Nouembri anni 1679, mense antecedente magnopere humido, istam tussim obseruauit, indeque productam esse opinatur. HUXHAM x) non sub vno quidem anni tempore, tamen vna coeli tempestate, scilicet hmidia et frigida, nostram occurrere tussim expertus est. Eandem denique ill. MELLIN y) se vidisse dicit, mensibus autumnalibus, frigidis, nebulosis ac pluuiosis, quibus aestas antecedebat magnopere sicca calidaque. Sic epidemice anno 1788 vere per totam fere Germaniam grassabatur, quo Februarius serenus, siccus ac cali-

v) *Oper. Med. Gen.* T. I. p. 104.

x) *Oper. Phys. med. Edir.* REICHELII T. I. Vol. II. p. 207. 290. 300.

y) MELLIN'S *Beschreibung einer Epidemie des Keichbustens zu Langensalza in den Jahren 1768. 1769.*



calidus, Martius autem et pars Aprilis prima frigida niuisque plena erat. Anno etiam praesente 1790. non minus vniuersalis pertinaxque fuit, multosque necauit, neque opus est, in memoriam tempestatem praeterlapsi hiemis et veris reuocare, cum quisque adhuc mitem totius hiemis et veris gelidam tempestatem miratur. Tussis conuulsua hoc anno non infantes solum, sed etiam adultos corripuit et vehementer torfit; eodem tempore multi febre intermitte laborabant, et tussi catarrhali graui. Pars circiter vix sedecima hominum ab omni tussi libera permanebat, cetera ea laborabat, maxima scilicet tussi conuulsua; raro peripneumoniae manifestae aliique morbi inflammatorii fuerunt. Dolores autem arthritici et rheumatici magnopere multos torquebant homines; scarlatina et morbilli simul epidemice aderant, magis autem scarlatina antecedebar, et morbilli sequebantur, non maligni, ac per totam aestatem grassabantur. Ostendunt haec a nobis allatae observationes, quae tempestas tussi conuulsuae antecedit, et sub qua grassatur epidemice, scilicet tempestate mutabili, plerumque humida ac frigida, antecedente calida, vel humida, vel serena. Cum cura itaque eam perspiciamus, vt rationem intelligamus, qua talis tempestas et dispositionem vniuersalem necessariam et causam occasionalem producit.

§. XI.

Colluuius viscida, quae in primis viis per totam hiemem a cibis magis, quam in aestate, viscidis,

C 2

accu-



accumulata est, calore externo, ac inde motu sanguinis versus superficiem aucto, nunc ad secundas vias transfertur, exitumque per cutim ac pulmones quaerit; oriuntur inflammationes et cutis, et pulmonum: haec eruptio violenta fieri solet, si solida tensione magna et elasticitate gaudent, quam praecipue a tempestate per longum tempus frigida, flante Borea, induunt. Ista autem eruptio eo vehementior erit, quo magis calor externus subito augetur, solidaque dictam qualitatem habent, cum qua energia aucta coniuncta est. Quodsi igitur hiemem frigidam ac serenam subito ver calidum excipit, inflammationes omnium partium corporis, praecipue autem pulmonum, frequenter obseruamus; frequentiores autem adhuc erunt, si vernalis iste calor, paucis diebus praeterlapsis in hiemale frigus iterum recidat, et alternatim humorum circulum turbet; sub diuturno enim calore excretio cutanea et pulmonalis larga atque aequalis permanet, ab hac autem alternatione interrumpitur, corpus sensibilius redditur, acriusque aliena, quae exitum per cutim ac pulmones adhuc quaerebant, ibi retinentur, irritant, et inflammationem producant. Inde eo hiemis quoque tempore, quo frigus summum regnat, id est plerumque Februario, inflammatorii morbi vniuersales sunt; quippe homines hypocaustorum magno calori, et coeli maximo frigori quotidie alternatim expositi sunt. Aer calidus, siccus, praecipue transpirationem auget; minus calidus humidus, qui simul solida tensa relaxat: vere itaque calido humido non multae inflammatio-  
nes



nes occurrunt. In omne fere tali inflammatione solidorum tensio, et humorum crassities, cum cruditatibus primarum viarum simul adest. Inde emollientia, diluentia, et resoluentia medicamenta, omniaque, quae tensionem diminuunt, praebent antiphlogisticam methodum, morbumque simplicem inflammatorium tollunt; euacuantia autem non negligenda sunt, quam diu pr. viar. cruditates significantur. Quodsi nunc ad morbos pituitosos, scilicet ad crasin humorum, ad solidorum qualitatem, et ad coeli tempestatem respicimus, sub qua frequentissimi ac epidemici occurrunt: tempestatem, qua morbi inflammatorii dominantur, non minus ab ea, qua pituitosi vniuersales sunt, differre vidimus, quam morbi ipsi inter se, ac vtriusque morborum generis fontem in coeli conditione et vitae regimine inuenimus. In morbo pituitoso solida laxa, defectus caloris animalis, et mucosa humorum visciditas adest, plerumque cum sensibilitate nimia coniuncta: inde causae, quae hanc constitutionem generant, tales erunt, quae motum sanguinis tardiores reddunt, transpirationem supprimunt, solidaque relaxant, vnde humorum crassities coniuncta cum defectu caloris animalis oriatur, necesse est. Haec itaque constans, longe perseverantis humido frigidae tempestatis effectus erit; cum ea solida relaxat, fluida mucosa viscida reddit, calorem animale extinguat simul, ac circulum humorum et transpirationem suppressit. Neque ad generationem huius constitutionis tempestat humido frigida necessario requiritur, sed in regimine vitae iam fundata est,

C 3

cum



cum, qui per totam hiemem assumuntur cibi, praecipue a pauperibus, magnopere omnes viscerum reddunt tenacem; a quo humorum viscerum oriat, necesse est, nisi solidorum rigor atque vis agendi tantum sit aucta, quantum ad assimilationem integram talis chyli viscerum opus est. Hiemalis autem frigus continuus istam solidorum vim praecipue augeat; si igitur tempestas hiemalis moderata sit, aut homines vitam agant sedentariam, ob sempiternum affluxum viscerum chyli, et non auctam solidorum potestatem eum assimilandi, viscerum humorum simul, et caloris animalis defectus oritur. Quando nunc sub tali corporum constitutione pituitosa, mox calida mox frigida tempestas oritur, refrigerium vix euitari potest, morbi que catarrhales, qualescunque sint, progenerantur. Inde vernali et autumnali tempore, quo saepe amoenas quasdam septimanas subito dies asperi sequuntur, morbi isti communiter epidemice grassantur, quippe haec subita coeli mutatio refrigerium vniuersale contrahit.

§. XII.

Refrigerium autem eo facilius contrahimus, quo sensibilia sunt corpora nostra, eoque grauiores effectus producit, quo facilius nervi irritantur, et suppressa transpiratio acrior est. In tantum et femellarum corpora a natura maiori sensibilitate gaudent, et illae quoque leuissime omnium tussi conuulsiva laborant; sensibilitatem insuper auctam corpora animalia sub vnaquaque coeli mutatione, et tempore vernali praecipue



praecipue offendere videntur; quippe ad vim vitae pertinet, ac vis vitae per totam naturam vere intenditur: inde tussis conuulsiva, febris intermittens, et alii morbi, in quibus sensibilitas nimia apparet, vere saepius, quam vlllo alio anni tempore occurrunt, ac inde vulnera aliaeque laesiones vetustae minimam fere mutationem coeli per dolorem indicant. Plerique tunc occurrentes morbi cum dolore coniuncti sunt, qui testis auctae sensibilitatis podagricos praecipue flagrat. Inflammatio ipsa huc pertinet, frequenter sub mutabili tempestate varias partes ladens. Interim horum dolorum causam solam, nimiam sensibilitatem esse minime contendimus, quin immo multum acrimoniae tribuimus, qua humores mutato saepius coelo impraegnantur; quod inde detrimenti capimus, statui corporis praesenti respondet: si enim cruditates pr. v. adsunt, quae facile in secund. v. transeunt, detrimentum maximum a subito transitu ex frigido in calidam tempestatem capimus. Sunt autem humores nostri si ab acrimonia quadam perdit, ex calido in frigidum coelum transitus nocumentum maximum affert; quippe transpirabilis materia eodem tempore etiam acris est, quae inde supprimitur. Interim nequaquam de omni acrimonia dicere possumus, quod alienationes, quas in corpore producit, eo grauiores sint, quo vehementior in actione sua persistit, vel quo facilius corpus mouetur; cum constitutione eius natura conuenire debet. Saepe enim leuissima irritamenta, quae constitutioni respondent, magnas alienationes, grauesque aegritudines efficiunt, dum interim



interini multo validiora irritamenta corpori applicata nullas fere alienationes producant, quippe constitutionis praesentis atque irritamenti applicati non mutuis inter se respectus adest. Huic autem constitutioni antea iam descriptae nullum irritamentum magis, quam suppressa transpirabilis materia respondet, neque alium morbum, quam pituitosum, vel spasmodicum, vel dolorosum progenerare potest. Quum solida nimia sensibilitate, humoresque nimia visciditate gaudent, hac in constitutione morborumque natura non ex causa occasionali, sed ex constitutione dominante vniuersali haec diiudicanda sunt. Materies itaque transpirabilis sub hac constitutione non modo acris est, sed facile etiam supprimitur, ac tussis conuulsivae epidemiam aliosque multos morbos pituitosos pro- uocat. Quapropter haec constitutio multis ac variis nominibus designatur, scilicet  $\zeta$ ) rheumatica, catarrhalis, asthmatica, anginosa (respectu anginae catarrhalis) scorbutica, apoplectica, et denique *constitutio tussis conuulsivae* appellatur.

§. XIII.

Tussis autem conuulsiva non vnicus morbus epidemicus est, cuius causa efficiens materies transpirabilis suppressa habetur. Dysenteriae plures auctores celeberrimi, causam occasionalem eandem esse opinantur. E. g. D. M. V. GEVN a) cum STOLL huius

$\zeta$ ) vid. STOLL aphor. §. 379.

a) GEVN'S öffentl. Lehrers zu Harderwik Abhandlung über die epidemische Ruhr, besonders des Jahres 1783. a. d. Holländischen übersetzt von I. B. KEVF d. A., G. D. 1790.



huius opinionis est, qui a nobis saepius citatus vir sic de hac re loquitur Rat. med. T. III. p. 330. „Nullam certiore prophylaxin noui, quam quae aestuantis corporis et profusius perspirantis refrigerium repentinum et aurae frigidioris afflatum vitat. Non raro subita dysenteria correptos obseruavi, quorum male vestitum abdomen post largiores sudores subito perfrigeratum fuit; vitato eiusmodi refrigerio, non minus cruditatem et saburralia vitia vitanda puto, quae, etsi dysenteriam sola non producant, corpus tamen debilitando eandem inuitant, praesentemque reddunt grauiorem.“ *Nonne eandem Prophylaxin in nostra tussi habeamus?* Certissimam praecipue, si vitae regimen agimus, quod cruditatibus pituitosis resistit, corporumque rigiditatem ac robustam constitutionem auget: refrigerium enim, praecipue tempore vernali ac auctumnali, nemo fere euitare potest; interim non omnes abinde catarrhalem morbum sibi contrahunt, cum a suppressa transpiratione, praesente nulla cachexia et sensibilitate nimia, homines nihil detrimenti capiunt; contra ea omnes cachectici et tenues semperpiternis fere catarrhis affectibus laborant, quippe eorum transpiratio ob sensibilitatem nimiam non modo facilius supprimitur, sed leuissima quoque suppressio morbi catarrhalis causa euadit. Cachexia autem, praecipue pituitosa, non subito, sed paulatim progeneratur, in euitatione autem huius cachexiae morborum pituitosorum prophylaxis maxima ex parte consistit. Quum itaque omnes catarrhales morbi pituitosae sunt indolis, et tussis conuulsiva ad hoc ge-

D

nus ,



nus morborum quoad crasin humorum pertinet: *il-  
 lius tussis prophylaxis erit regimen vitae longum, pro-  
 tractum, quo pituitosa cachexia et sensibilitas nimia  
 vitatur ac a refrigerio cauetur.* Eandem prophylaxin etiam febribus intermittentibus, praecipue pituitosis, esse, experientia docet. Abundantia pituitae, simul cum nimia sensibilitate, in iis apparet, grassantur vna cum tussi conuulsiva quasi epidemice, in iisque regionibus morbum endemium esse videmus, vbi tempestas humida ac frigida per totum fere annum regnat, hominesque diaetam viscidam agunt; inde tussis conuulsivae prophylaxis non minus, quam febrium intermittentium, in vitatione contagii quaerenda est, nouumque argumentum huius vtriusque morbi similitudinis constituit. I. A. VNZER *b)*, quem ad sapientissimos et experientissimos medicos nostri aevi numeramus, contagium quidem tussis conuulsivae proprium adesse credit, interim nihil aliud, quam *febrem gastricam non apertam* esse contendit, quae loco frigoris atque ardoris cum tussi adueniret, cuius exacerbationes *tertianae* a tussi stomachali ferina eam distinguerent. De natura itaque morbi nobiscum eadem in opinione est, scilicet gastrico pituitosam, spasmodicam, esse credit; existentiam autem contagii proprii nullis argumentis demonstravit, sed quasi euitam assumit. Nobis interim sibi contradixisse videtur, cum omnes medici celeberrimi febres gastricas non ad morbos contagiosos referant, sed ad istos, quorum causa saepe in sola tempestatis qualitate quaerenda est, praecipue si pituitosae sint indolis. §. XIV.

*b) Medicinisches Handbuch, p. 126.*



## §. XIV.

Quum itaque non omnes epidemiae a contagio oriuntur, et dysenteria ipsa a suppressa transpiratione deducitur; quum tussis conuulsua et febres intermittentes morbi sunt affines, qui vno eodemque tempore, tempestate mutabili, humida ac frigida, homines adgrediuntur; quum denique multi alii morbi pituitosi, catarrhales ac rheumatici, tempore grassantur, quo tussis nostra epidemice saeuit, nullaque certa huius tussis contagii signa existant: rationes istorum pertinaciae, contagium tussis conuulsuae proprium cur assumamus, non video, ac maiore cum iure huius morbi originem, naturam, et epidemiam in sola constitutione et refrigeratione, quam STOLLE aliique dysenteriae, quaerendam esse opinor. Ad hanc opinionem tota quoque methodus curandi quadrat. Auctorum variorum sententiam methodumque curandi breuiter praemittamus, antequam nosmet ipsi hac de re loquimur. Curatio huius tussis dicit VNZER l. c. „a curatione tussis gastricae non differt, et in reiteratis emeticis, clysmatibus et ad vltimum corticis peruuiiani assumptione consistit. Cortex saepe non aliter, quam per clysmata apud infantes adhiberi potest; iis autem, qui eum assumere volunt, quater per diem ʒß porrigenda est. Praesente plethora, V. S. instituere debemus.“ Auctor cuiusdam Enchiridii c), qui suum nomen sine iure tacuit, de contagio

D 2

tagio

c) *Medicinisches und chirurgisches Handbuch für angehende Aerzte und andere Liebhaber der Arzneiwissenschaft; a. d. Engl. übers. Frankh u. Leipz. 1771.*



tagio nihil dicit, curationemque a resoluentibus pituitam, euacuantibus, roborantibus, et antispasmodicis expectat. Emefin non calidam vel a tart. emet, vel ab Ipecac. praecipue laudat. Sub initio per binos vel tres dies, quotidie semel emeticis vti hortatur; deinde autem omni altero die, et sic eo rarius, quo magis morbus in secundum finem vergit. Vbi obstructio alui adest, atque emetica eam non simul mouent, rhabarbarina commendat. Cort. Per. intra diei spatium ad roborationem ventriculi ter porrigere debemus. Sic dicta pectoralia dulcia et oleosa nocent, quippe materiem viscidam augent et glandulas ac tunicas ventriculi relaxant, quae potius roborandae sunt. Vbi spasmodicae affectiones magnae adsunt, Elixir. Pareg. ad gt. XX - XXX. vel Mixturae huius ex Iulep. de Mosch. ʒvj. Elix. pareg. ʒʒ. tinct. Valer. ʒi - ij bis vel ter per diem cochlear porrigi debet. Alii, denique dicit, castoreum laudant, praecipue si cum Cort. per. coniunctum sit, ac fomentationes spinnae dorsalis cum Spir. Rum dicto, siue cum mixtura ex tribus partibus Ol. Ambrae et vna parte spir. C.C. utiles esse obseruauerunt; forsitan, quippe nervos spinnales roborant. Interim Cort. per. et martialia omnibus aliis medicamentis praeferenda esse censet. FOTHERGILL absorbentia cum tartaro emet. dedit, multosque sic sanatos dicit. IACOBI d), WILLISIVM iam dixisse inquit, „hanc tussim celerius, saepe mutato coelo, quam medicamaentis sanari; inde medicamentum hoc, quo

d) IACOBI'S praktische Erfahrungen, von einem sichern Mittel im Reichbusten, 1751.



quo secure semper sanaretur aeger, optatissimum esset. Tale autem meum est, quod accipimus dum Elix. pector. WEDELI, ad aetatem infantis, naphthae nitri bene edulcoratae dosin et guttulas quasdam laud. liq. Syd. admiscemus. Quotidie quater haec mixtura infantibus porrigitur, primis antea viis euacuatis, et in eius vsu persistentes, paulatim, sed secure, infantes sanari videbimus.“ In curatione huius tussis, dicit STORCH e), resolutio materiae pituitosae, eius excretio atque deriuatio a pulmonibus, et denique symptomata quaedam grauia e. g. haemorrhagiae, obstructions, motus epileptici atque exanthemata nobis curae esse debent. Praeterlapsis XXI diebus, morboque grauitatem primam remittente, plura, quam antea, laxantia vel mercurialia vel alia fortiora danda sunt. Vescicatoria, secundum SYDENHAMI et aliorum f) obseruata, suris et nuchae imposita, reuulsioni gratia, laudat. Exanthemata miliaria aliaque si erumpant, neque magis elicere, neque suppressere debemus, quippe eorum eruptio raro critica est, a suppressione autem grauiora symptomata oriri possunt. In Commerc. litt. N. 1737. p. 42. contra motus epilepticos expressio Millep. FVLLERI laudatur, cuius praeparationem in eius Pharmacopoea p. 141. inuenimus; ipse autem effectus mirabiles huius expressionis non expertus est. Videamus nunc, quid celeberr. STOLL de methodo curandi dixit. In curanda, in-

D 3

quie

e) l. c. p. 369.

f) vid. *Breslauer Sammlungen im 10ten Versuche, vom DR. BACSMECIKY, p. 676.*



quit g), tussi conuulsua vnice ferme spectandam semper epidemicam labem temporis iudicabam, quae varias hominum aetates varie afficit. Deinde dicit l. c. p. 180. „Tussis conuulsuae, cum Viennae, tum in Hungaria a me obseruatae, fuere omnes stomachicae; et non omnis *stomachica tussis* fuit ideo conuulsua; hinc illa latius patet, et plures sub se quasi species complectitur, quarum vnam dicimus *conuulsuam*. In sananda hac tussi, vbi ea ex ventriculo oriebatur, quam originem illi communissimam esse puto, bina potissimum tempora distinguebam, *primum* quo ventriculus fere solus aegrotabat, atque *alterum*, quo pulmo non solum per sympathiam afficitur, sed ipsam suam a ventriculo labem attraxit, eamque variam. Morbi non vltra ventriculum, aut non multum, progressi facili medicatio, et non diuturna, emeticis, eccoproticis, et stomachicis demum, atque victu eupepto perficienda. At vero vbi vitium ad reliqua viscera dilapsum videram, vario modo sananda erat; vbi enim imbecille corpusculum inueneram, ibi corticis per. decocto, lich. isl. polyg. amara et consimilibus vsus sum, antea primis viis purgatis; verum vbi turgor sanguinis in pulmonibus aderat, ibi V. S. requirebatur, non vt tussi, sed vt tussis effectui mederemur, peripneumonicae nempe affectioni. Deinde (l. c. p. 182.) sic loquitur: Cum tussis conuulsui morbi alterius, ei tunc anni temporis imperantis, quaedam solum *modificatio* est, et febres *vernas* pituita maxime ventriculi et intestinorum generat, *aestiuas bilis*

g) *Rat. med.* T. II. p. 178.



bilis, et *autumnales* idem humor biliosus sed spissior factus, easdem et tussis conuulsivae ut plurimum productrices materias observamus. Hinc, ut febris vernis plus minusue phlogoseis commiscetur, sic tussis conuulsiva, quam ver praecipue gignit, flante borea exasperatum, in inflammationem pulmonum abit, educto sanguine curandam; tussi autem conuulsivae aestatis emeticum, atque illi, per autumnum proderit, officiet V. S. quae medicatio ad earum etiam tempestatum populares febres pertinebit. Denique (l. c. p. 173.) dicit tussis conuulsiva, ut causa eiusdem materialis sublata dudum sit, redire per vices nihilominus *ob consuetudinem* potest, quam fibrae nimium irritabiles contraxerunt. Desuefacient vero nerueum systema ab irregulari hoc motu opiata, moschus, camphora, castoreum, hyoscyami extractum, cicuta, nicotiana, gummata ferulacea, etc. item cortex peruvianus. "Cum opinione celeberr. huius viri, quoad curationem medicorum practicum et theoreticum, magnus CULLEN h) consentit. STOLLIVM quidem contagium huius tussis negavisse vituperat, et non satis ab aliis tussibus conuulsivis, tussim conuulsivam propriam distinxisse eum dicit; interim in curatione non multum ab eo decessit. In sanatione huius tussis ad morbum imperantem respiciendum esse, quoque affirmat. Idem et duas periodos assumit: in prima, ubi materialis causa adfit, et plethora atque difficilis sanguinis circulatio iuncta  
appa-

h) *Anfangsgr. der pract. Arz. z. B. in der Abhandl. vom Keichbusen.*



appareat, V. S. et vesicatoria pectori imponenda, saepius reiterata, magna; si adessent stagnationes inflammatoriae in pulmonibus, simul euacuantia et derivantia laudat; martialia inde praecipue suadet, quippe euacuant et humores versus exteriora propellunt. Altera periodo, ubi ex sola consuetudine siue impressione nervosa, ut alii morbi spasmodici, tussis convulsiva perseveraret, roborantia et antispasmodica laudat, praecipue cort. per. Praeterea ista medicamenta indicavit i), quae specifica habentur, scilicet baccas daphnes mezerei, valerianam; led. palustr.; spir. salis dulc. lich. pyxidat; flor. zinzi et denique canthar. internum usum, quem BURTON, SVTCLIFF, LETTSOM, et MILLAR magnopere laudant. Quum autem auctores nominati camphoram, cort. per. et opiata simul adhibuerunt, CVLLEN bonos observatos affectus non cantharidibus, sed opiatibus, et cort. per. adscribit. Specificum remedium, inquit STOLL k), „huius tussis, tam varia sede et causis adeo multiplicibus natae, nullum datur, nec dari potest.“

§. XV.

Plura, quae ab hisce auctoribus de hoc morbo, et ROSENSTEIN aliisque non ignotis viris de eius curatione dicta sunt, omittamus: quum, quae demonstrare proposueramus, ex hic allegatis iam satis superque apparere nobis videntur: scilicet tussim convulsivam morbum esse pituitosum spasmodicum, minime novum, et febribus intermittentibus affinem, neque

a

i) l. c. p. 478.

k) l. c. p. 184.



a contagio, nec a miasmate in aere haerente, sed a sola caeli tempestate inaequali, ab aetatis et sexus dispositione, vitaeque regimine provenire; quae constitutionem corporis pituitosam, refrigerationem, ac sensibilitatem nimiam inducunt. Quoad curationem tres habemus periodos, scilicet *primam*, quam diu morbus materialis est; *alteram*, dum immaterialis euadit; et *tertiam* denique, quum in febrem acutam transit. Sub prima, vbi in primis viis, praecipue in ventriculo, pituita larga et viscida haeret, et plerumque plethora adest, resoluentia, incidentia, reiterataque euacuancia, ac V.S. indicantur: vt pituita resoluatur et euacuetur, atque impediatur, quo minus impeditus sanguinis a spasmus motus, apoplexiam, suffocationem, inflammationes omnium partium, praecipue pulmonum, febrem inflammatoriam, atque conuulsiones atroces aduocet, aegrotosque subito necet. Salina resoluentia et euacuaciones per emesin praefereandae sunt; quippe ventriculus praecipue impletus est labe pituitosa, quam illi omnium optime resoluunt, simul aluum laxam conseruant, feбри moderantur, et humores versus cutim propellendo deriuant. Tartarus inde emet. optimum praebet et resoluens cum salinis, et emeticum solus. Quamuis mercurialia praecipua sint pituitae resoluentia, in hoc tamen morbo nihilo minus indicata esse videntur, quippe nunquam profunt, vbi plethora, congestiones ad pectus, et sensibilitas spasmodica adest. Antispasmodicis omnibus hoc tempore abstinere debemus, quia calorem et sanguinis motum augent, affectusque conuulsiu

E

non



non nisi naturae molimina salutaria aestimari debent; ad pituitam euacuandam. Inde ista resolutentia atque euacuantia tunc quoque antispasmodice agunt. Recta diiudicatio autem temporis, quousque resoluentibus et euacuantibus vti debeamus, non minus difficilis, quam necessaria est; quum eorum abusus corpus nimis debilitat, atque periodum secundam et tertiam periculosiorem reddit. Transgreditur in alteram periodum morbus, atque symptomata neque mutantur semper, nec diminuuntur, inque vno subiecto prius, in altero tardius transgreditur, quin immo, vbi morbus subiecta magnopere tenera, cum pulmone laxo et debili, valdeque cachectica aggreditur, resoluentibus salinis atque euacuantibus perparum vti possumus, quum praesentem magnam sputorum puriformium viresque absumentem expectorationem, augent, viresque plane consumunt. Amaris hic pituitae resolutionem et virium conseruationem instituere mox debemus. Saepius interim hunc transgressum ex comparatione plurium aegrotorum, atque paroxysmorum vehementia et recursu suspicari possumus: vno enim altero aegroto feliciter in eadem epidemia iam sanato, tertium eodem modo, caeteris paribus, scilicet habitu corporis, etc. tractare possumus; deinde paroxysmi si ab vsu resoluentium et euacuantium non amplius temperantur, vel longioribus interuallis recurrunt, quod sub initio eorum effectus esse solet; porro si sputa mucosa viscida in puriformia transmutantur; denique cum debilitatis signa augentur. Tunc in secundam periodum transgresso mor-



morbo roborantia indicata sunt, et amara adstringentia. Quippe autem transgressus iste certe non subito, sed paulatim contingit, ad oppositam methodum aequae sensim transire, et roborantibus simpliciter amarioris, quae mitissima eorum sunt, non solum sub initio uti debemus, sed resolventibus etiam magno emolumento commiscebimus; sic e. g. solutionem extracti taraxaci sive gent. rubr. et tart. tartarificati sive tart. emet. parvam, scopo resoluendi, dosim praecipue laudabilem inuenimus; ventriculus exinde roboratur, leniter irritatur, atque in primis et secundis viis haerens adhuc pituita soluitur et euacuatur. Antispasmodicum huic solutioni adiunctum, verbi causa, liquor anodynus, erat, atque vnice hac solutione per 6-10. dies praescripta et assumpta, tunc amara adstringentia, praecipue cort. per. larga quantitate, vel in forma solutionis, vel pulueris, cum antispasmodico quodam coniunctum porreximus. Febris praesens, et affectus spasmodici inde mox euanescent, desinit tussis atque expectoratio, viresque augentur. Quando autem ista praedicta medicamenta pituitam non satis resoluunt atque euacuant, affectus spasmodicos non mitigant, expectorationem non diminuunt, vires non eleuant, solidaque roborant, febris acuta supra descripta et periodus tertia simul aduenit: cuius methodum curandi praeterire possumus, quum minime peculiaris sit, tussisque tunc ad naturam febris curetur. Quae specifica habentur remedia, non nisi antispasmodica ac irritantia sunt, a quibus nerui nouam impressionem recipiunt, veteremque a tussi illatam relinquunt.

et



et a terrore haec tussis, uti singultus, epilepsia, alique morbi conuulsiui, subito sublata est. Cantharidum externus usus, in forma empl. laudabilis est. Per irritationem oris sub paroxysmo effecta emesis, illam breuiorem reddit. Tussi conuulsiua laborantes non nisi eupepta edere, farinosa viscida, pinguedinosa, rancida, et lactea vitare, fortibus acidis spirituosisque abstinere debent. Praeterea assumptorum copia parua sit, necesse est. Sub prima periodo aqua font. siue calidum decoctum aquosum auen. decort. aliorumque non viscidorum mucilaginosorum vegetabilium potus optimus et cibus quoque erit: omnibus cibus animalibus abstinere, et vegetabilibus aquosis, dulcibus, aegri frui debent, quam diu phlogosis adest; saccharum atque sal, et potus, et ciborum optimum condimentum est. Ineunte autem periodo altera, cereuisiam tenuem, amaram, non calidam haurire, cibosque etiam ex regno animali, praecipue carnem ferinam, edere debent, quippe ab ea sensibilitas non ita augetur, ut a ceteris, quin immo supprimitur. In vnaquaque autem periodo caue, ne refrigerio nouo exponas aegrotum.





✓

01 A 6631

ULB Halle

3

004 931 246









70

SPICILEGIA  
 AD  
 TVSSIS CONVVLSSIVAE  
 HISTORIAM ET MEDENDI  
 METHODVM PERTINENTIA

\*\*\*\*\*

PRAESIDE

MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE  
 PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
 PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
 FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVE,  
 SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,  
 ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. I. DECEMBRIS MDCCCXG.

DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

LVDOVICVS FRIDERICVS IVTERBOCK,  
 POMERANVS.

---

TRAIECTI AD VIADRVN,  
 E TYPOGRAPHEO APITZIANO

